Eugen Mittwoch

LS
Ne 320

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:5-1192015415-314213759-12

Proelia Arabum paganorum

(Ajjâm al 'Arab)

quomodo litteris tradita sint

scripsit

Eugenius Mittwoch

Dr. phil.

Berolini

Mayer et Mueller.

1899.

BIBLIOTHEK
der
Deutschen
Morgenländischen
Gesellschaft.
DiNe 320

Parentibus carissimis
votum
solvit libens merito.

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:5-1192015415-314213759-12

In traditione rerum ab Arabibus paganis gestarum magni momenti sunt أيّام العرب sive narrationes earum quas tempore anteislamico tribus Arabicae inter se commiserunt pugnarum.[1] Profanas autem antiquitates libenter — minore sane diligentia quam sacras — Arabes tractabant; mirum vero est quod nullius fere pugnae nisi ultimo ante Muhammedum saeculo confectae memoria permansit.

Libris antiquissimis qui has pugnas pertractabant non asservatis relegati sumus ad epitomas ab Ibn ʿAbd Rabbihio, Ibn al Athîro, Nuwairio aliis confectas. Critica ratione ut inquirerem, quibus fontibus et quomodo usi sint scriptores illi, mihi proposui, omissa tota illa quaestione a Reiske, Rasmussen, Fresnel, Caussin de Perceval hominibus doctissimis summa diligentia enucleata, utrum revera ita, ut traditae sunt, res sint gestae an quovis alio modo.

Ordo vero commentationis eiusmodi erit, ut primum in universum dies Arabum priscorum proeliis illustres (أيّام العرب) tractemus; enumerabimus enim Arabes qui in illa studia incubuerunt causasque indicabimus cur interdum nonnullae narrationes inter se commutatae sint. — Deinde de Abû ʿUbaidae libro qui inscribitur كتاب الايّام Ibn ʿAbd Rabbihii libri العقد الفريد fonte, quo usus est illo in aevo enarrando, disseremus. — Tum Nuwairium totum caput encyclopaediae suae quo agitur de „diebus“[2])

[1]) Vid. Hâgî Halfa I. 499 sub. num. 1513; Fresnel: Lettres sur l'histoire des Arabes avant l'Islamisme, p. 3; Slane: Divan d'Amro'lqais, p. IX.

[2]) Liceat mihi hoc termino technico quem dicimus pro proeliis illis ab Arabibus paganis peractis, quae indigenae أيّام العرب nominant, semper uti.

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:5-1192015415-314213759-12

illis magnis Arabum ex Ibn ʿAbd Rabbihio ad verbum fere repetivisse[1]) demonstrare conabimus. Postremo quos scriptores Ibn al Athîr in libro qui inscribitur الكامل فى التأريخ idem argumentum tractans secutus sit inquiremus. — Suo ubique loco autem animadversiones ex libro clarissimo كتاب الاغانى librisque Ibn Badrûni et Ibn Nubâtae ut difficultates quasdam diiudicemus, commentationi inseremus.

Difficultatibus typographicis coactus semper pro ج, littera Arabica, g nudam, pro ث th, pro ذ dh posui.

Restat ut notae explicentur librorum quibus passim in opusculo utar:

ʿIqd = Ibn ʿAbd Rabbihi: al ʿIqd al farîd. Ed. Bulâq. 1302. pars tertia.
Nuw. = Nuwairii encyclopaedia.
I. A. = Ibn al Athîr Chronicon ed. Tornberg. Vol. I.
Rasm. add. = Rasmussen: Additamenta ad historiam Arabum ante Islamismum.
Aġ = Kitâb al Aġânî.
j. = jaum.

I.

Ex auctoribus qui dies magnos Arabum paganorum tractabant atque illis quidem hominibus doctis aḥbârijjûn ab inquilinis appellatis (cfr. libr. الفهرست capitis (maqâla) III. section. (fann) I.) afferuntur ʿAbîd b. Šarja, Gannâd, al Kalbî eiusque filius Ibn al Kalbî, Ibn ʿAbada, Ibn Ḥabîb, ʿUmar b. Bakîr, Zubair b. Bakkâr. Alii qui incubuerunt in illa studia quos in libro al Fihrist non reperimus, in libro كتاب الاغانى saepe auctores laudantur ut Haitham b. ʿAdî. Qui auctores illo de argumento

[1]) Cum Reiske et Rasmussen in huius capitis versione latina haud pauca omiserint, codicem Lugdunensem ipsum adii. Vid. Catal. cod. arab. bibl. acad. Lugdun. ed. II. vol. I. p. 15.

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:5-1192015415-314213759-12

complures composuerunt libros, quorum alii de singulis pugnis vel bellis egerunt, ut Ibn al Kalbii liber كتاب الكُلاب الاوّل والكلاب الثانى (Fihr. p. 98), ʿUmari b. Bakîri liber كتاب يوم الغول (Fihr. 107), Wâqidii et Zubairi b. Bakkâr libri de pugnis Ausitarum et Ḫazragitarum (Fihr. 99, 110), alii complures tractaverunt pugnas, ut Abû ʿUbaidae liber كتاب الايّام quem posterioribus temporibus a multis exscriptum esse infra demonstrabimus, et liber ille magnus tribuum et dierum (كتاب القبائل الكبير والايّام (sic) Fihr. p. 106) cuius auctor est Ibn Ḥabîb, Abû ʿUbaidae discipulus clarissimus. Quem librum auctor lexici al Fihrist, qui ipse vidit, octo milibus foliorum fuisse compositum affirmat.

Non igitur mirum est quod etiam in epitomis illis exiguis, e. c. Ibn ʿAbd Rabbihii, Ibn al Athîri, Nuwairii, numerus narrationum, quae eius sunt argumenti, permagnus invenitur.

Forsitan quispiam quaerat, quo factum sit, ut apud Arabes, populum non numerosum, bellorum atque proeliorum tanta moles extiterit.

At non omni „die“ pugna vera facta est inter tribus Arabicas, sed narratores saepe ingenio suo indulgentes, ex parvula contentione, qua pauci inter se atque privatis de causis congressi erant, caedem multorum finxerunt. [1])

Deinde cum multae pugnae complura habuerint nomina, velut e locis vicinis, ex una pugna apud scriptores duae vel plures factae sunt, ita ut duplices narrationes quas vocant historici existerent, cuius rei haec fere sunt exempla: Dies ad Dhû Tulûḥ (inter Jarbûʿitas et Bakritas) dies quoque ad Aud nominatus est ʿIqd 85_9. — Dies ad Jahâmîm idem est ac dies apud Qârât Ḫauq

[1]) Quod Wellhausen in „Skizzen und Vorarbeiten IV“ p. 28s. de pugnis inter tribus Aus et Ḫazrag commissis ponit, de hac re universa contendi potest.

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:5-1192015415-314213759-12

I. A. 476_5 — diem ad Man'ig vocant quoque diem ad al Radha 'Iqd 62_{10} — pro die illo celeberrimo ad Kulâb nomen quoque usurpatur dies ad al Safqa 'Iqd 100_7 — dies ad 'Adnijja idem est atque ad Milhân 'Iqd 76_{23} Bekrî 647_{10}.

Tribus autem modis nominatus est dies ille apud al Gabît qui et dies ad Sahrâ Falg vel dies al tha'âlib 'Iqd 88_6 Bekrî 714 vocatur.

Quinque nomina gerit dies, quo Bakritae vicerunt Banû Jarbû', scilicet ad al Uzâlâ, A'šâš, al Ufâqa, al Ijâd, Mulaiha 'Iqd $86_{8a.u.}$ Bekrî 535 ult.[1]) — Pugna qua Persae victi sunt sive dies apud Dhû Qâr sive al Hinw[2]) sive Qurâqir sive al Gubabât (sic est legendum) sive Dhât al 'Ugrum vocatur 'Iqd $115_{3a.u.}$ Bekrî $723_{7a.u.}$

Contra perturbaverunt saepius diversas res scriptores nominum similitudine in errorem seducti. Exempli causa legimus apud I. A. 378_{18} (= Ag. VIII 68_{14}.) Imrulqaisum poetam, cum Hugrum patrem interfectum esse accepisset, potasse et exclamasse لا صَحْوَ اليومَ ولا سكر غدا اليومَ خمر وغدا امر; quae verba postea in proverbium abiisse. — Idem enuntiamentum (فاليومَ خمر وغدا امر) Muhalhil, cum Kulaibum fratrem occisum esse comperisset, edixisse dicitur apud I. A. 387 ult. Haud scio an confusionis causa ea sit, quod Muhalhil, qui ex sorore Fâtima avunculus (خال) Imrulqaisi fuit, secundum alios auctores Imrulqais quoque nominatus esse dicitur; vid. I. A. 389_9.[3]) — Ceterum ut Imrulqais ita Muhalhil laudatur quod primus carmen illud, quod قَصِيدَة vocant

---

[1]) I. A. $457_{2a.u.}$ tria modo nomina leguntur.

[2]) Cum hoc die alius eiusdem nominis, quo Bakritae contra Taglibitas pugnaverunt, confusus est.

[3]) cf. Hamâsa p. 421_8 Ag. IV 149_{10}.

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:5-1192015415-314213759-12

composuerit (أوّل من قصّد القصائد.) cf. I. A. 389_{11}; Caussin de Perceval Essai II. 280.

Duae sunt pugnae ad Sullân: altera qui ex tribu Tihâma[1]) sunt duce Rabî'a patre Kulaibi pugnabant cum Jamanitis I. A. 385_5; altera 'Âmiritae — duce 'Âmiro b. Mâlik qui Mulâ'ib al asinna nominatus est — cum Tamîmitis armis conflixerunt I. A. 479—81. Ac recte Bekrî et Iâqût s. v. سلّان tradunt bis ibi pugnatum esse. — Maidânius autem scribit die apud Sullân tribum Iamanicam, Madhhig vocatam, a Rabî'a victam et 'Âmirum b. Mâlik cognomine Mulâ'ib al asinna ornatum esse. — Itaque pugnas ad unum eundemque locum commissas confudit in unum temporis ordine perturbato.

Ibn 'Abd Rabbihi ('Iqd p. 81), quanquam eadem narrat de die ad Sullân secundo, eum nominat يوم السريان, quod apud Nuwairium mutatum est in يوم المسبوتات. Lectionem variam vero inde ortam esse opinor, quod dies ad Sullân secundum alios auctores يوم السوبان appellatus est (cfr. Bekrî s. v.), unde nomina quae apud Ibn 'Abd Rabbihium et Nuwairium leguntur corrupta esse videntur[2])

Narrationes illarum pugnarum accuratius perlegentem saepius aliis de diebus eadem fere narrari non fugit. Nam ex notissimis illis, quae apud omnes in summa erant gratia, in obscuriores singula quaedam quibus exornarentur, inrepserunt. Ut exemplis utar: apud I. A. 390 legimus initio belli quod Basûs vocant Muhalhilum qui

---

[1]) Sic est legendum I. A. 385_6 pro يمامة. Vide I. A. 385_3 'Iqd. 95_9. Nuw. quoque veram lectionem habet.

[2]) Saepissime apud varios scriptores nomina corrupta inveniuntur punctis quae diacritica vocant omissis, velut dies qui 'Iqd 73 يوم النتاءة nominatur, apud I. A. 484 يوم النباءة vocatur. — Idem dies apud I. A. 487 يوم النباج وثيتل, 'Iqd 84 ونبتل —, apud Nuwairium وتيثل — nominatur.

frater erat Kulaibi, ducis Taglibitarum a Gassâso b. Murra interfecti, condiciones Murrae, Gassâsi patri, tulisse has quattuor, ut aut Kulaibum ad vitam revocaret aut Gassâsum caedis auctorem vel eius fratrem Hammâmum traderet aut ipsum ad necandum se traderet. — Murram autem has condiciones repudiavisse: ac primam quidem eo modo, ut se mortuum ab inferis excitare non posse exclamaret (390_{18}: امّا احياآتى كُليبا فلستُ قادِرا عليه). — Sed, ut caedem expiet, mille camelos propinquis Kulaibi cum obtulisset, ira illi inflammati obtestantur se „lac pro sanguine Kulaibi accipere nolle".

Eadem fere res de aliis hominibus aliisque temporibus narratur:

'Iqd 82 (s. v. dies ad Dâra Ma'sal) Dirâr filii ulciscendi causa adversus tribum 'Âmir b. Kilâb profectus non 'Utba interfectore sed eius patre Šatîro potitur. Cui tres has condiciones proponit, ut aut mortuum vitae reddat aut 'Utbam tradat aut morte sua poenam det. — Šatîr tertiam condicionem accipere vult; ad primam idem dat responsum atque Murra (فانّى لا انشر الموتى).

Tres similes condiciones Zuhair b. Gadhîma tribui fert, ad quam confugerunt interfectores filii Ša's, ut aut hunc ab inferis excitent aut Ġanîtas caedis auctores tradant aut bellum accipiant (I. A. 412 supra). Quarum condicionum primam cum dicunt neminem nisi deum mortuum vivum reddere posse (امّا احياء ولدك فلا يقدر عليه الّا الله) reiiciunt, piaculum (dija) vero ab iis oblatum pater respuit.

Simile postremo exemplum apud I. A. 393s (= Ag. IV $150_{25\,ss.}$) legimus. Higris, qui ut filius Kulaibi interfecti ita alumnus erat Gassâsi interfectoris, cuius filiam in matrimonium duxerat, curatorem necavit, postquam comperit patrem ab eo occisum esse.

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:5-1192015415-314213759-12

Simili modo narrant (I. A. 392_9 ʿIqd 97 ult) Hammâmum Bakritam a Nâširo alumno esse interfectum, ubi ille adolescens audivit se Taglibitam, hostem igitur Hammâmi esse.

Hanc narrationem iam Ibn ʿAbd Rabbihi (ʿIqd 98_1) comparavit cum fabula de Hudhaifa b. Badr die ad Habâ'am a Qirwâšo alumno percusso.

Adnotationis loco pauca addere liceat de libris fabulosis quos nostrates „Volksromane" vocant. Quorum scriptores argumenta ut ex narrationibus de diebus magnis deprompserunt, ita saepissime ficta additamenta, monstrosa ea quidem fabulis contexuerunt. — E. g. bella quae olim tribus Maʿadd cum Iamanitis[1]) nec non bellum quod tribus Bakr gessit cum tribu Taglib (ḥarb al Basûs) fabulose exornata sub ficta Ibn al Kalbii auctoritate narrata sunt in codice Lugdunensi 2034[2]), similiter in cod. Mus. Brit. 913/4 et cod. Berol. Spr. 1215 (fol. 77^b—170).

In hoc codice Berolinensi (fol. 162—170) uberius — quasi Ibn Ishâq auctor sit — narratur dies ad Ḥazâz, quamquam iam Abû ʿAmr b. al ʿAlâ Abû ʿUbaidae auctor affirmat (ʿIqd p. 109_{21}) de illa pugna, ut quae ex diebus antiquissimis esset, prorsus nihil esse memoriae proditum. Restat ut commemorem in fabulis posterioribus temporibus fictis, quas سِيَر بنى هِلال vocant, easdem res tractari. Iis enim fabulis narratur proelia inter tribus Ismaeliticas et Iamanicas esse commissa, a Gassâso Kulaibum necatum esse atque interfectorem ipsum hanc ob rem a fratre eius Muhalhilo al Zîr[3]) trucidatum esse.[4]) Zîr postea a duobus servis occisum ante mortem interfectores oravisse, ut suis versum quendam proferant, quo postea Zîri filia

[1]) Vid. ʿIqd p. 95_6; I. A. p. 385 supra.

[2]) cf. Catal. cod. Arab. Bibl. Lugd. Ed. II. Vol. I. p. 337.

[3]) Sic Muhalhil iam Ag. IV. p. 143_{13} nominatur.

[4]) cf. Ahlwardt: Catal. VIII. 155.

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:5-1192015415-314213759-12

servos interfectores patris fuisse cognovisse.[1]) Quae omnes narrationes iam in libris Ibn Badrûni (ed. Dozy p. 115 s.) et Ibn Nubâtae (p. 13) leguntur.

II.

Ahmed b. Muh. Ibn ʿAbd Rabbihi (246—328 H.)[2]) cum in libri sui qui inscribitur العقد الفريد capite illo, quod est de diebus magnis Arabum, eo quidem appellato الدرّة الثانية فى أيّام العرب ووقائعها[3]), pendeat ex „libro dierum“ notissimo, quem scripsit Abû ʿUbaida Maʿmar b. al Muthannâ,[4]) pauca hoc de scriptore praefari placet diligentissimo qui de antiquitatibus Arabicis scripsit; qui gloriabatur non concurrisse duos equos tempore vel anteislamico vel islamico, quos quorumque equites non notos haberet[5]) — Ac primum quidem inter omnes constat Abû ʿUbaidam sectam Šuʿûbijja vocatam (cuius studium id erat, ut Arabes non solos in populis islamicis praevalere, sed alios populos, ut Persas, eis aequales esse demonstrarent) amplexum esse; quam ob rem, ut opinor, maxime eius interfuit dies magnos Arabum priscorum describere, ut in quibus describendis saepissime occasio esset data exponendi quomodo tribus tribui malediceret eique vel originem vel ignaviam vel alia vitia exprobraret.[6]) Ita ducentorum quorum auctor

---

[1]) ib. p. 159 col. 2.

[2]) Vid. Ibn. Hall. nr. 45.

[3]) Vid. de libri al ʿIqd compositione Ahlwardt Catal. VII. 305. — Caput, de quo agimus, antea Europaeis incognitum primus vulgavit Fulgence Fresnel, qui inde partes quasdem suum in sermonem vertit (Lettres sur l'histoire des Arabes avant l'Islamisme. Paris 1836; Journal asiat. 3. Série, III—VI.)

[4]) Vid. Fihr. p. 53, Ibn Hall. nr. 741; Goldziher: Muhammedanische Studien I. 194—206.

[5]) Sujûtî: Muzhir II. 203_{10}.

[6]) Vid. quae infra (p. 25) de carminibus probrosis (higâ), quae narrationibus inseruit, dicuntur.

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:5-1192015415-314213759-12

fuisse fertur librorum (Fihr. 53/4) non ita pauci pugnas tribuum Arabicarum tractant, ut kitâb Banî Jaškur waahbârihim, kitâb Banî Mâzin waahbârihim, kitâb al Aus wa'l Hazrag. Librum quoque composuit, in quo non de unius sed omnium tribuum pugnis egit.

Huius operis scriptor libri al Fihrist nihil commemorat nisi titulum كتاب الأيّام, Ibn Hallikân autem (nr. 741) affirmat Abû 'Ubaidam librum dierum minorem scripsisse quo 75 „dies" tractaverit nec non maiorem, quo de 1200 „diebus" egerit. Iisdem verbis allatis Hâgî Halfa (nr. 1513) memorat ab Abû l Farag al Isfahânî maiorem Abû 'Ubaidae librum ita auctum esse, ut 1700 „dies" contineret.

At dubitandum est, num res ab initio eiusmodi fuerit, quoniam scriptor libri al Fihrist nihil tale dicit et Abû 'Ubaidae liber apud alios auctores semper kitâb alajjâm aut kitâb ajjâm al 'Arab nominatur nec scriptores addunt, utrum ex maiore an minore libro exscripserint. Posterioribus vero temporibus varias huius libri species atque formas fuisse infra demonstrabitur (p. 20).

Liber autem Abû 'Ubaidae apud multos scriptores laudatur. Velut Ibn Duraid de die apud Kulâb ubi agit his verbis illum ad librum relegat يذكر ذلك ابو عبيدة في كتاب الأيّام [1])

Etiam Bekri (p. 843_2), ubi de die ad Wâridât disseruit, librum Abû 'Ubaidae laudat. — Mas'ûdî item Abû 'Ubaidam ut auctorem peritissimum dierum magnorum Arabum laudat.[2]) — Praeterea Sujûtî in libro qui Muzhir inscribitur librum Abû 'Ubaidae commemorat (I. 84_6)[3]); sed dubitandum est, utrum ad eius aetatem Abû 'Ubaidae liber pervenerit, an Sujûtî, quod verisimilius videtur, ex fonte derivato pendeat.

---

[1]) kitâb al ištiqâq (ed. Wüstenfeld) p. 14_5.
[2]) Murûg al dhahab ed. Barbier de Meynard. VII. 80.
[3]) Vid. Brockelmann, Arab. Litteraturgeschichte p. 104.

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:5-1192015415-314213759-12

Quamquam exemplar libri ipsius non ad nos venit, tamen multi cum auctores posteriores Abû 'Ubaidae librum exscripserint aut in epitomae formam redegerint, de forma et auctoritate eius diiudicare possumus. — Recte igitur Brockelmann his verbis librum commendat: Eine Hauptquelle der betreffenden Abschnitte des Agânî und des Kâmil von Ibn al Athîr.[1]) Sed addendum est quod inde etiam caput libri al'Iqd, quo Ibn 'Abd Rabbihi de diebus Arabum magnis egit, haustum est. Per totum enim caput Abû 'Ubaida auctore utitur. Sed ne illas quidem multorum dierum narrationes ubi Abû 'Ub. auctor non laudatur, existimandum est aliis ex fontibus manavisse. Nam cum saepe scriptores Arabici transcribendo in libro arbitrio auctorem modo nominent modo celent, narrationes, quibus Ibn 'Abd Rabbihi auctoritatem non anteponit, tamen ex Abû 'Ubaidae libro sumptae esse possunt. Sumptae autem inde sunt, quod apud alios viros doctos Arabicos eodem modo narrantur. Nonnulla sufficient exempla: in narratione diei ad al Raqam 'Iqd 73_{20} Abû 'Ub. non nominatur, sed apud I. A. 482_5; in descripto die ad Tihfam 'Iqd 104_9 celatur, apud I. A. 486_6 a. u. commemoratur.

Ex epitoma quamquam haud copiosa ab Ibn 'Abd Rabbihio redacta de libro Abû 'Ubaidae ipso iudicare possumus. Ac primum quidem inde auctores Abû 'Ubaidae enumerabo:

1) Abû 'Amr b. al'Alâ'[2]), unus ex septem Qurrâ quos vocant; 'Iqd 100_7 (j. al Safqa)[3]), 109_{20} (j. Hazâz), 117_{19} (j. Dhî Qâr).

Ceteri quos Abû 'Ubaidae auctores fuisse ex Ibn 'Abd Rabbihio elucet, non ut Abû 'Amr ex numero philologorum illustrium sunt, sed homines de multis; nonnulli

[1]) ibid.

[2]) Vide de eo Fihr. p. 28, Ibn Hall. nr. 516.

[3]) Cum in diversis libri al'Iqd editionibus non idem ordo paginarum observetur, semper nomen diei uncis inclusum addimus.

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:5-1192015415-314213759-12

eorum erant Arabes scenitae vel ut Arabicam vocem afferam „badawî“.

Qui sunt:

2) al Muntagi‘ b. Nabhân, ‘Iqd 104_4 (j. al Ṣafqa); idem Ag. XVIII 133_2 a. u. 137_2 a. u. Abû ‘Ubaidae auctor profertur[1]). Scenitam autem eum fuisse ex verbis al Mubarradi (Kâmil 3_{18}) elucet: قال حدّثنى الاصمعىّ قال قيل لاعرابىّ وهو المنتجع بن نبهان

3) Firâs b. Ḥindif (Ḥandaq), ‘Iqd 82_{23} (j. al Waqît). — Etiam Ag. IV. 141_4, 136_3 (in narratione belli Basûs) Firâs b. Ḥindif auctor Abû ‘Ubaidae nominatur. Sed Tabarî, ubi (in annal. I_2 p. 1016_5[2]) diem ad Dhû Qâr describit, pro F. b. Ḥindif habet Abû l Muḥtâr Firâs b. Ḥandaq. — Utra lectio praeferenda sit, incertum est.

De ceteris Abû ‘Ubaidae auctoribus ab Ibn ‘Abd Rabbihio nominatis nihil nisi nomina afferre possumus:

4) Salît b. Sa‘d 88_8[3]) (j. al Ġabît).

5) Ribâb al Ṣabîrî ibid.

6) Gahm b. Ḥassân al Salîtî ibid.

7) Abû l Hamnâ (sic) al ‘Anbarî 92_7 a. u. (j. al Šajjitain).

Hoc loco silentio praetereundum non videtur, quin sex quondam viri cum inter se dissentirent, qui die ad Ḥazâz dux fuisset, ad auctoritatem Abû ‘Amr b. al ‘Alâ apellaverint (Iqd 109_2). Quibus haec fuerunt nomina:

---

[1]) Ex eius ore Abû ‘Ub. carmina Dhû Rummae poetae tradidit, vid. Fihr. 188_{22}.

[2]) فحدّثت عن ابى عبيدة معمر بن المثنّى قال حدّثنى ابو المُختار فِراس بن خندق Cf. Tab. I_2 p. 1029_3 1035_4.

[3]) Salît etiam ‘Iqd 87_1 nominatur. — Apud Sujûtîum (Muzhir I. 84_6, de quo loco iam supra p. 13 diximus) S. b. S. al Jarbû‘î vocatur.

1) ʿÂmir b. ʿAbd al Malik.
2) Mismaʿ b. ʿAbd al Malik.
3) Hâlid b. Gabala.
4) Ibrâhîm b. Muhammed b. Nûh al ʿUtâridî.
5) Ġassân b. ʿAbd al Hamîd.
6) ʿAbdallah b. Sâlim al Bâhilî.

Duo priores qui fratres erant in libro al Agânî saepius auctores Abû ʿUbaidae nominantur, e. c. ʿÂmir IV. 144_{14} 145_{8} a. u. 146_{15} 147_{20} et Misma' IV. 144_{14} $145_{8a.\,u.}$ Eiusdem Misma' maiores in libro ʿIqd 116_{15} (j. Dhî Qâr) commemorantur.[1])

Hoc loco pauca addenda sunt de scriptoribus, unde Ibn ʿAbd Rabbihi narrationes Abû ʿUbaidae deprompserit. Duos auctores in capite de quo agimus nominat, secundum quos se ea, quae ex Abû ʿUbaida tradiderint, narrare dicit. Qui sunt:

1) Abû Hâtim ʿIqd 77_{9} a. u. (j. al Liwâ), 98_{18} (j. ʿUnaiza), vel Abû H. al Sagastânî[2]), quem ex Abû ʿUbaida nonnulla transscripsisse scriptor libri al Fihrist nec non Ibn Hallikân[3]) affirmant.

2) Abû Ġassân Dammâd; ʿIqd 84_{3} legitur: الحسنى قال اخبرنا ابو حسّان العبدىّ واسمه رفيع عن ابى عبيدة معمر بن المثنّى. Sine dubio pro ابو حسّان legendum est

[1]) „Catenis auctorum“ (isnâd) quae in libro al Agânî sunt allatae, inspectis cognoscitur numerus immensus auctorum quos Abû ʿUb. in librum suum transtulerit. — Hic locus est adnotandi apud Bekrîum 788_{11-15} secundum al Šarqî b. al Qatâmî (vid. Fihr. 90) de die apud Safawân eadem verba afferri quae Abû ʿUbaida auctore ʿIqd 90_{5-8} leguntur. Inde intellegi potest Abû ʿUbaidam narratione al Šarqîi usum esse. Ceterum Ibn al Kalbî qui eadem aetate floruit atque Abû ʿUbaida, saepe al Šarqîi auctoritate nititur; vid. Ag. IV. 151_{10}. XV. 86_{5}.

[2]) Vid. Fihr. 58, Ibn Hall. nr. 281.

[3]) nr. 741. (ed. Wüstenf. VIII. 121).

ابو غسّان, Abû Ġassân quem ex ore Abû ʿUbaidae tradidisse eiusque libros transscripsisse Fihr. 54 legimus: ومن اصحاب ابى عبيدة دمّاد ابو غسان واسمه رفيع بن سلمه بن مسلم ابن رفيع العبدى روى عن ابى عبيدة الخ[1]

Etiam in libro al Aġânî, in quo saepe Abû ʿUb. auctor laudatur,[2]) semper ابو غسّان دماد appellatur.

Sequitur, ut in locos quosdam inquiramus, ubi Ibn ʿAbd Rabbihi ad Ibn al Kalbîi auctoritatem recurrit. Qui genealogus clarissimus auctor nominatur in narratione belli Basûs ʿIqd 95_3 et 97_{17} et in descriptione diei ad Dhû Qâr 116_{20}. (ابو المنذر). Dicitur autem (97_{17}) ex Hirâšo خراش nonnulla in usum suum transtulisse. Huc spectant quae leguntur Fihr. 95_{24}: واخذت (= Ibn al Kalbî) قال هشام نسب ربيعة عن ابى وعن خراش بن اسمعيل العجلىّ[3]) et quod etiam Aġ. IV $181_{2\text{ a. u.}}$, XX 132_{13}, XXI $202_{2\text{ a. u.}}$ Hirâš autor Ibn al Kalbîi laudatur.

Cum parum verisimile sit iam Abû ʿUbaidam verba Ibn al Kalbîi attulisse, quoniam eadem aetate floruerunt, a posterioribus potius locos illos Abû ʿUbaidae libro additos et ab Ibn ʿAbd Rabbihio receptos esse putandum est.

Haec quidem de auctoribus; sed iam narrationes ipsae sunt tractandae.

Saepius quae de diebus magnis Arabum narrant scriptores, qui omnes se ex Abû ʿUbaida summaria sua excerpsisse affirmant, minime inter se conveniunt, non solum

---

[1]) cf. etiam Hamzam (Annal. I. $144_{2\text{ a. u.}}$) — Masʿûdî quoque (Murûg al dhahab. I. 11) cum „ahbârijjûn“ enumerat, eius mentionem facit.

[2]) Ut XI 63 ult., XII 151_3, XIV 124_{16}, XVI 78_{11}, XX 141_9, XXI 69_8.

[3]) Fihr. 108 الشيبانىّ vocatur.

quod ad dicendi genus sed etiam ad res ipsas attinet. Cuius rei nonnulla exempla iam afferemus.

Abû 'Ubaida auctore proelium ad Gabalam anno quo Muhammedus natus sit commissum esse dicitur 'Iqd 65_{12}[1]). — At eandem pugnam undeviginti annis ante Muhammedum natum factam esse idem auctor Ag. X 46_{8} a. u. affirmare videtur.

Bellum Basûs, iam saepius commemoratum, quod tribus Bakr cum Taglib gessit ita narratur Abû 'Ubaida auctore Ag. IV. 140 ss., ut his locis tum pugnatum esse appareat: ad 'Unaizam (IV. 143_{12}), ubi incerto eventu dimicatum est; ad Wâridât (143_{16}) ubi Taglibitae vicerunt; ad Hinw (143^{2}_{2}) unde Bakritae superiores discesserunt; ad Qusaibât (143_{23}) ubi Taglibitae victoriam rettulerunt; ad Qiddam[2]) (143_{25}), ubi Bakritae vicerunt.

Ab hac narratione discrepat ea quam praebet Ibn 'Abd Rabbihi. Quo auctore Taglibitae quidem quattuor pugnis, ad al Nihj, al Dhanâ'ib, Wâridât ('Iqd 97), ad 'Unaizam ('Iqd 98), Bakritae autem quinto solo proelio ad Qiddam victoriam reportaverunt[3]).

Quomodo inter se discrepent narrationes, haec tabula docet.

'Iqd 97.		Ag. IV. 148.
a) j. al Nihj	(vicerunt Taglibitae).	j. 'Unaiza (vicit neutra pars)
b) j. al Dhanâ'ib.		j. Wâridât (vic. Tagl.)
c) j. Wâridât		j. al Hinw (vic. Bakr.)
d) j. 'Unaiza		j. al Qusaibât (vic. Tagl.)
e) j. Qidda (vic. Bakr.)		j. Qidda (vic. Bakr.)

Dixerit quispiam dissimilitudinem narrationum inde ortam esse, quod eius tantum narrationis, quae in libro

---

[1]) Eodem auctore Bekrî quoque (229 infr.) idem affirmat.

[2]) De hoc die, qui etiam j. al tahâluq sive j. tahlâq al limam („dies tonsurae") vocatur, vide Goldziher Muh. Stud. I. 249 infr.

[3]) Inter diem ad 'Unaizam et diem ad Qiddam nonnullos parvi momenti dies commemorat.

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:5-1192015415-314213759-12

al Agânî legitur, auctor sit Abû ʿUbaida, Ibn ʿAbd Rabbihi autem totum bellum Basûs secundum Ibn al Kalbîum narret, quem in initio narrationis (ʿIqd 95_3) auctorem prolatum esse iam supra diximus.

Sed rem aliter se habere ex eo colligitur, quod Bekrî de harb al Basûs agens (p. 842 s.) hunc dierum ordinem fuisse dicit: j. al Nihj, j. al Dhanâ'ib, j. Wâridât, j. ʿUnaiza additque verba (843_2) هكذا قال ابو عبيدة فى كتاب الايّام. Unde manifestum est Ibn ʿAbd Rabbihium narrationem belli Basûs ex Abû ʿUbaidae libro exscripsisse. —

Ex verbis autem quae sequuntur apud Bekrîum وروى يعقوب عنه انّ اوّل ايّامهم يوم عنيزة الخ idem dierum ordo quem kitâb al Agânî habet, elucet, qui est; j. ʿUnaiza, j. Wâridât, j. al Hinw, j. al Qusaibât, j. Qidda sive tahlâq al limam.

Intellegimus igitur ex Bekrîo narrationes ea de causa inter se non convenire, quod altera ex Abû ʿUbaidae libro hausta est, altera ea affert, quae Jaʿqûb b. Ishâq b. al Sikkît (hic enim est, quem Bekrî Jaʿqûb dicit; cf. Bekrî ed. Wüstenf. vol. I p. 8 prooemii) secundum Abû ʿUbaidam tradidit.[1])

Demonstravimus igitur nonnumquam unus idem auctor dum exscribitur, Abû ʿUbaidam dico, de diebus magnis

---

[1]) Hoc loco commemorare iuvat Bekrîum et Ibn ʿAbd Rabbihium, cum ambo Abû ʿUbaidae libro usi sint, saepe de diebus magnis Arabum eisdem verbis tractare. Cuius rei nonnulla exempla affero.

Bkr. $268_{6\text{-}13}$ = ʿIqd 93 (j. Hâgir).
Bkr. 492_{18} ss. = ʿIqd 92_{21} ss. (j. Šajjitain).
Bkr. $591_{16\text{-}23}$ = ʿIqd $110_{2\text{-}6}$ (j. al Nisâr).
Bkr. 591_{24}-592_3 = ʿIqd 110_7 ss. (j. Dhât Šuqûq).
Bkr. 603_4 a. u. = ʿIqd 79_{15} (j. al Salʿâ).
Bkr. 777_3 a. u. = ʿIqd 90_{15} ss. (j. al Sulajj).

Vide etiam p. 16 adn. 1.

Arabum priscorum in libro al'Iqd alia narrari atque in libro al Agânî. Nunc exemplis quibusdam illustrabitur narrationes libri al Agânî, ubi Abû 'Ubaida auctor laudatur, multo ampliores esse eis, quae apud Ibn 'Abd Rabbihium ad eundem fontem referuntur. Qui scriptor de pugnis Qaisitarum agens res a Ša's b. Zuhair, Zuhair b. Gadhîma, Hâlid b. Ga'far, Hârith b. Zâlim in pugnis ad Man'ig, Nafrawât, Batn'Âqil, Rahrahân dieque ad Gabalam clarissimo gestas secundum Abû 'Ubaidam breviter exponit ('Iqd 62-69); quae res eodem auctore latius ac fusius describuntur in Ag. X. 8-54. —

Quae de pugnis notissimis quas alfigâr et hurûb 'Ukâz vocant, Abû 'Ubaida auctore narrantur in 'Iqd 111—114, ex eodem auctore in Ag. XIX 84—83 transcripta videmus. —

Ut igitur probari potest Ibn 'Abd Rabbihium ipsum Abû 'Ubaidae narrationes breviter comprehendisse ita verisimile videtur exemplum libri, ex quo caput suum exscripsit Ibn 'Abd Rabbihi, multo minus continuisse quam illud, unde scriptor libri al Agânî et Ibn al Athîr[1]) summaria sua composuerunt. Cnf. supra p. 13.

Vitio autem Ibn 'Abd Rabbihio dandum est quod res saepe adeo anguste ac breviter narrat, ut quomodo res gestae sint ex eius narratione intellegere non possimus, nisi aliis narrationibus comparatis.

E. c. de die ad al Nisâr 'Iqd 110 id solum affertur: quinque tribus foedere iunctae cum contra Banû 'Âmir expeditionem fecissent multosque eorum occidissent, iratos Tamîmitas contra tribus foederatas profectos die ad Gifâr[2]) plures eorum necavisse quam illi die ad al Nisâr trucidassent. Uberius eandem pugnam narrat Ibn al Athîr I 462—4.

---

[1]) de quo scriptore in fine commentationis disseram.

[2]) Sic est 'Iqd 110_4 legendum pro al figâr. Rectam lectionem habet Nuwairius.

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:5-1192015415-314213759-12

Extrema de pugna belli Basûs apud Ibn ʿAbd Rabbihium (ʿIqd 98 infr.) narratur Hârithum b. ʿUbâd, qui antea pugnae particeps non fuisset Bakritis ducem se obtulisse iratum quod Muhalhil, Taglibitarum dux, Bugairum pacis conciliandae causa ab ipso missum interfecisset. Tum sic pergit Ibn ʿAbd Rabbihi وكان اليوم الذى شهده الحارث ابن عباد يوم قضّة ويوم تحلاق اللمم

At qua de causa hic dies „dies tonsurae“ nominatus sit scriptor omittit neque aliud de pugna ipsa affert nisi Muhalhilum ab Hârith b. ʿUbâd captum in libertatem restitutum et duos Taglibitas occisos esse.[1])

Quae de rebus ab Muhalhilo post bellum Basûs gestis ʿIqd 99$_{12-13}$ narrantur, tam pauca sunt, ut intellegi non possent, nisi narratione apud I. A. 396, Ag. V. 189 s. uberiore inspecta.[2])

Nonnumquam quae describit Ibn ʿAbd Rabbihi eam ob causam obscura sunt, quod parum anxie, quae in fonte suo antecedebant omisit. Ut exemplo utar, ʿIqd 95 legimus belli Basûs causam fuisse, quod Gassâs una cum ʿAmro b. Hârith Kulaibum, ducem Taglibitarum superbissimum, persecutus esset eiusque ventrem hasta perfodisset. Cum autem Kulaibus in vitae discrimine versatus ab interfectore suo petivisset, ut ipsi aquam potandam daret eum id recusavisse exclamantem: تجاوزت شُبَيْثًا والاحصّ (Transiisti Šubaithum et Ahassum). Quae verba cum per se clara non sint, Ibn Nubâtam[3]) respiciamus. Secundum quem[4]) Kulaib aliquando Bakritas ardenter sitientes im-

---

[1]) Ag. IV 144, 146, ubi bellum Basûs narratur, dies ad Qiddam confuse, sed Ag. XX 143 s. multo clarius describitur.

[2]) Quae de Muhalhilo Ag. 146 (infr.) inveniuntur, confusa et obscura sunt.

[3]) p. 47 s. (= Rasm. add. p. 1).

[4]) Maidânius similia narrat.

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:5-1192015415-314213759-12

pediverat, quomimus apud illos montes[1]) aquam peterent. Gassâs igitur Kulaibo morienti illudit verbisque illis significat se par pari referre.[2])

Sajjâr b. ʿAmr Fazârita al Aswado, postquam mille camelos ut lytrum (dija) filii necati se daturum esse promisit, arcum suum pignori dedisse dicitur ʿIqd 68_{19} [3]) Sequuntur haec وكان هذا قبل قوس حاجب (lin. 23), accuratius non explicata. Scriptor autem alludere videtur ad id quod Hâgibum b. Zurâra Tamîmitam arcum suum Kisrâ Annuširwâno regi Persarum pignori dedisse[4]) narrant.

Sed non solum narrationes, quas in fonte suo invenit Ibn ʿAbd Rabbihi, saepius ita abbreviavit, ut plane intellegi nequeant, sed etiam nonnullos dies omnino omisit. E. c. neque dies ille ad Halîmam,[5]) quo ob exercitus multitudinem tantus pulvis ortus esse traditur, ut sol obscuraretur (vid. I. A. 400_{8-}) nec dies ad Uwâram ab Ibn ʿAbd Rabbihio memorantur (vid. I. A. 408—11). — Ne pugnae quidem inter tribus Aus et Ḫazrag commissae[6]) describuntur.

Quoniam demonstravimus quaedam eo quod Ibn ʿAbd Rabbihi saepius nimis neglegenter fontem suum compressit obscuritate obruta esse, nunc singulas narrationes non bene dispositas esse exponatur. At scriptor quas quaeque tribus pugnas pugnaverit, hoc ordine describit, ut primum pugnas Qaisitarum, deinde pugnas, quibus Tamîmitae Bakritas, tum quibus hi illos vicerunt,

---

[1]) Vide de his montibus Sachau: Reise in Syrien etc. p. 111 ss.

[2]) De illis verbis in appendice (p. 43) disseram.

[3]) Vid. Ibn Duraid, kitâb al ištiqâq, p. 172.

[4]) cf. Fresnel, Lettres etc. p. 61.

[5]) cf. I. A. 401_9 وهذا اليوم (scil. j. Hâlîma) من اشهر ايّام العرب

[6]) Vid. p. 39.

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:5-1192015415-314213759-12

afferat.[1]) Sed accuratius si narrationes respicimus, ordinem illum non totum per caput inveniri apparet; dies enim ʿIqd 85_9 enumerati, quibus Jarbûʿitae de Bakritis victoriam reportavisse dicuntur, omisso ordine ita narrantur, ut medios inter eos octo dies, quibus Bakritae Tamîmitas vicerunt, (ʿIqd 91—95) et bellum Dâhis et dies ad Kulâb tractentur, quamquam his diebus non eaedem tribus pugnaverunt.

Praeterea ne hoc quidem Ibn ʿAbd Rabbihi agit, ut temporis ordinem sequatur.[2]) Vide exempla quae sequuntur:

1) Ibn ʿAbd Rabbihi cum ipse dicat (ʿIqd 88_{10}) diem ad al Ġabît fuisse ante diem ad al ʿUzâlâ, illum post hunc tractat.

2) Diem ad ʿAdnijjam transfert post diem ad Dhât al athl, quem ante illum commissum esse ipse (ʿIqd 76_{23}) affirmat.

3) In initio capitis auctor, ut iam commemoravimus, agit de pugnis Qaisitarum. In tertia autem pugna (ad Batn ʿÂqil) Hârith b. Zâlim Hâlidium b. Gaʿfar occidit in tentorio, in quo etiam eius frater ʿUrwa al Rahhâl[3]) aderat. Qui quamquam primas partes agit in bello secundo quod figâr vocatur, tamen hoc bellum extremo demum in capite (ʿIqd 111_{8}) narratur.

---

[1]) In titulo narrationis pugnae ad al Nibâg wa Thaital commissae haec verba leguntur: لبكر على تميم, ita ut hic dies tertiae parti inserendus videatur. Sed e narratione ipsa elucet Tamîmitas victores discessisse, quod I. A. quoque affirmat. ʿIqd 84_3 legendum igitur est لتميم على بكر, quam veram lectionem Nuwairius praebet.

[2]) Jam Rəiske (Prim. Lin. p. 164) dixit: „non sequar ordinem Nuwairii qui nullus est.“ Atque est quidem ordo dierum in Nuwairii encyclopaedia idem atque apud Ibn ʿAbd Rabbihium, cum ille huius caput transscripserit.

[3]) Alii ʿUrwa al Raggâl eum vocant.

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:5-1192015415-314213759-12

4) Bellum Basûs (descriptum p. $95_{ss.}$) ante pugnas Tamîmitarum iam supra descriptas gestum esse ex eo elucet, quod Šarâhîl, qui in eo occisus est, avus Haufazâni, qui pugnis Tamîmitarum aderat, fuisse dicitur 'Iqd 97_{22}.

Ibn 'Abd Rabbihi etiam de nonnullis disseruit diebus, quos — Abû 'Ubaida auctore — post „missionem" Muhammedi fuisse dicit, ut de die ad Šajjitain 92_{21} et die ad Faif al Rîh 105_{13}. — Quos quidem dies,[1]) quippe qui primis annis islamicis fuissent, licuit auctori tractare in capite quo egit de ايّام العرب فى الجاهليّة, sed ('Iqd 108) dies ad al Handamam, qui anno 8 H. fuit, in libro quo de pugnis anteislamicis tractat auctor narrari non debet. Ceterum quae de die ad al Handamam Ibn 'Abd Rabbihi secundum Abû 'Ubaidam narrat, ad verba conveniunt cum iis, quae apud Ibn Hišâmum Ibn Ishâqo auctore leguntur p. ٨٧٧.

Diebus singulis non bene dispositis effectum est, ut de die ad Hazâz (sive Hazâzâ) duobus locis, at non eodem modo agatur. Kulaib enim eo die imperium obtinuisse dicitur 'Iqd 95_{10} (secundum Ibn al Kalbîum); sed in eodem libro (p. 109) legimus diem ad Hazâz multo ante Kulaibum fuisse, id quod iam Abû 'Amr b. al 'Alâ dicitur confirmasse.

Sed quamvis breve sit maleque dispositum illud caput libri 'Iqd, tamem magni nobis momenti est, quia veterrimas dierum magnorum Arabum narrationes, quae asservatae sunt, continet.

Nunc igitur de argumento capitis nonnulla afferre libet.

Ibn 'Abd Rabbihi antequam de diebus ipsis disserat sic praefatur 'Iqd 61 ult. Socius quidam, inquit, Muhammedi interrogatus, de quibus rebus in conventaculis (magâlis) collocuti essent, respondit se carmina pronuntiavisse et de rebus ab Arabibus priscis gestis confabulatos

[1]) Etiam I. A. hos dies tractat.

esse (62_1: نتناشد الشعر ونتحدّث باخبار جاهليّتنا). — Tum pergit Ibn ʿAbd Rabbihi quendam utinam Muslimorum generositas tanta esset quanta patrum paganorum exclamasse; ʿAntaram enim paganum ab impudicitiae facinore abhorruisse, quod Hasan b. Hâniʾ fidem islamicam professus edisset. Quod ut demonstretur, ʿAntarae et Hasani versus proferuntur, quibus ʿAntara pudicitia sua et castitate gloriatur, Hasan autem se socii uxorem adulterio cognovisse iactat. — Cuius prooemii utrum iam Abû ʿUbaida auctor sit an Ibn ʿAbd Rabbihi haud facile est diiudicatu.

Plurimorum dierum narrationes auctor carminibus insertis exornavit. Saepe (vide 65_7, $66_{15, 17}$, $84_{9\text{ a. u.}}$; 82_{17}) versus probrosi, quos Garîr et Farazdaq fecerunt, occurrunt, quos Abû ʿUbaidam eam ob rem addidisse censeo, quod „Šuʿûbijja“ quam vocant sectam amplexus est.[1])

Verba inusitata, quibus narrationes de veteribus Arabibus abundabant, Ibn ʿAbd Rabbihi saepe vocabulis notioribus explicat. — Ita vocabulo اتاوة[2]) addit pro interpretamento الخراج (tributum) ʿIqd 63_1; vocabulis ثلاثة اخماس verba وذلك اثنتا عشرة ليلة ʿIqd 66_5; vocabula تهوّر القيظ explicat verbis اى ذهب (praeteriit aestas) $100_{4\text{ a. u.}}$; vocabulis وكان عرقه يهمى addit interpretationis causa اى يسيل (sudor manavit) 102_3; vocabulum ابن ذكاء circumscribit voce الصُبح (tempus matutinum) 101_{11}.

Nonnumquam Ibn ʿAbd Rabbihi de temporis, quod Gâhilijja vocant, institutis disserit. Exempli gratia commemorat reges captos quondam pretio mille camelorum redemptos esse (ʿIqd 68_{19} 81_{13}). — Tempore

---

1) Vide supra p. 12. Ceterum Abû ʿUbaida auctor est libri quoque نقائض جرير والفرزدق inscripti (Flügel: Grammat. Schul. p. 70).

2) Hoc vocabulum etiam Ag. VIII. 65_{15} legimus.

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:5-1192015415-314213759-12

anteislamico nonnisi apud sepulcrum Rabî'ae b. Mukaddam mactatum esse[1]) 'Iqd 79_{20} legimus.

Etiam ad rationem criticam scriptor aspirat in p. 66. Carmen enim poetae, cui nomen est المعفر البارقي, affertur cuius versus primus etiam in carmine Râšidii b. 'Abd Rabbihi legi dicitur.[2]) Quam rem inde ortam esse scriptor putat, quod versus illius poetae in proverbii consuetudinem abiisset et ita in omnium ore et sermone fuisset, ut Râšid eum carmini suo inserere non dubitaret.

Restat, ut commemoremus libri 'Iqd editionem Bulâqensem multis locis mendosam esse, quod iam supra interdum[3]) exemplis demonstravimus. Saepe autem loci corrupti ex Bekrîi, Nuwairii, Ibn al Athîri libris emendari possunt. Pro insigni excemplo 'Iqd 87_8 (in narratione diei ad 'Uzâlâ) leguntur verba: انتفخ تتحوّل يا ابا الصهباء quae recta esse non possunt. Apud Nuwairium autem (cod. Lugd. fol. 113a) et I. A. 458_{14} legimus pertritum illud انتفخ سَحْرُك („pulmo tuus intumuit", i. e. modum egrederis").

III.

Nuwairius de diebus magnis Arabum agit in encyclopaediae suae capite quod inscribitur باب الخامس من القسم الرابع من الفنّ الخامس

Quod caput ex Abû 'Ubaidae libro exscriptum esse Rasmussen[4]) cum opinatus sit, equidem rem se ita non habere puto. Nam cum dubium est, num ad Nuwairii aetatem Abû 'Ubaidae liber asservatus sit, tum manifeste probari potest Nuwairium Ibn 'Abd Rabbihii libellum

---

[1]) cf. Goldziher Muh. Stud. I. 241.

[2]) De hoc carmine vide etiam 'Iqd I. 139, ubi poeta Râšid b. 'Abdallah vocatur.

[3]) Vide p. 20 adn. 2, 23 adn. 1.

[4]) Hist. praec. Arab. regn. p. V.

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:5-1192015415-314213759-12

sibi fontem elegisse, unde singula fere verba transscriberet.

Etenim apud Nuw. idem atque in libro ʿIqd prooemium legimus, quod iam in Abû ʿUbaidae libro fuisse non constat (vide pag. 25) — Deinde Nuw. eosdem dies eodem ordine tractat atque Ibn ʿAbd Rabbihi. — Tum etiam ea quae in libro al ʿIqd non secundum Abû ʿUbaidam sed secundum Ibn al Kalbîum narrantur (cf. supra p. 30), Nuw. habet. — Postremo firmissimum argumentum videtur, quod et Nuw. et Ibn ʿAbd Rabbihi eodem modo auctores laudare solent. Ubi hic ponit قال ابو عبيدة, idem apud Nuw. legitur; ubi Ibn ʿAbd Rabb. casu quodam auctorem non nominat, etiam Nuw. eum silentio praeterit. — Uterque in initio narrationis diei ad Gabalam (= ʿIqd 65) et media in narratione (= ʿIqd 66₂) dicit قال ابو عبيدة.[1]) Quin etiam in narratione diei ad Nibâg, in qua Ibn ʿAbd Rabbihi praeter consuetudinem nomen Abû ʿUbaidae perscribit (ʿIqd 84₄ ابو عبيدة معمر بن المثنّى) apud Nuw. eadem verba legimus.

Nuw. se auctorem Ibn ʿAbd Rabbihium sequi nusquam profitetur, sed quamquam huius caput ad verba fere in suum opus transsumpsit, simulat se librum de suo componere. Plurimos scriptores Arabicos item peccavisse quis est qui ignoret?

Nuwairii codex, quo usi sumus, Lugdunensis mendis non caret. Neque tamen omnia librarii culpae attribuenda sunt; immo vero Nuw. ipsum Ibn ʿAbd Rabbihii librum cum transscriberet errores non plane evitasse arbitrandum est,[2]) praesertim cum constet Nuwairium haud diligenter codices transscribere solitum esse,[3]) quamvis in Nuwairii

---

[1]) Alia exempla inveniuntur in narrationibus belli Dâhis, dierum ad Waqît, ad Kulâb.

[2]) E codice Parisino 700, quem Nuw. sua manu scripsit, accuratius hanc rem diiudicare possis.

[3]) Dozy auctor est codicem Upsalensem Ibn Badrûni librum continentem, quem Nuw. ipse transscripsit, saepius mendosum esse. (Dozy: Ibn Badroun p. 10).

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:5-1192015415-314213759-12

libro nonnunquam lectiones libri al'Iqd praeferendae inveniantur.[1])

Nuw. quem ad verba fere totum libri 'Iqd caput transscripsisse diximus, tamen alios locos omisit alios addidit.

Etenim omnino silentio praeteriit quinque dies non illustres sed ab Ibn 'Abd Rabbihio quamvis paucis verbis descriptos; qui sunt j. 'Adnijja, ('Iqd 76), j. al Sulajj ('Iqd 90), j. Tijâs ('Iqd 105), j. Irâb ('Iqd 107), j. al Mi'â ('Iqd 109); ceterum Nuw. ipse alios dies non maioris momenti in libro suo describit. —

„Catenas auctorum" (isnâd) quas saepius transscripsit,[2]) omisit in diebus ad Nibâg, Gabît, Nihj, Safqa describendis. —

Quinquagies fere carmina ab Ibn 'Abd Rabbihio allata prorsus omisit, quindecies non universum carmen, sed nonnullos ex eo versus in suum recepit contextum.

Ubi in libro al 'Iqd viri die quodam occisi enumerantur, Nuw. saepe nonnisi pauca nomina affert additque vocabulum وغيرهم e. c. in narratione diei ad 'Uzâlâ (= 'Iqd 87) et diei ad Zuwairain (= 'Iqd 92). —

Diem ad Kadîd cum describit silentio praeterit verba quae posterioribus temporibus 'Alî de tribu Banû Firâs locutus esse dicitur 'Iqd 79_{18-21}.

In narratione diei ad Gabalam omisit quod de Râšidii b. 'Abd Rabbihi carmine traditur in libro 'Iqd p. 67.[3])

Jam supra memoravimus Ibn 'Abd Rabbihium nonnumqam res tam breviter narrare, ut vix intellegi possint.

---

[1]) Huius rei exempla cum iam supra (vid. 20, 23, 26 adn. 3) a nobis allata sint, unum hic addamus; 'Iqd 74 (in narratione diei ad Hausam) Hufâfus Mâlikum b. Hârith occidisse dicitur; apud Nuw. necatus recte Mâlik b. Himâr vocatur (vide Ibn Duraidi kitâb al ištiqâq 172_{12}.)

[2]) Reiske et Rasmussen Nuwairii librum in Latinum vertentes „catenas auctorum" et carmina semper fere omiserunt.

[3]) Vid. supra p. 26.

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:5-1192015415-314213759-12

Eiusmodi loci, e. c. وكان ذلك قبل قوس حاجب (vide supra p. 22) iam Nuwairio obscuri fuisse videntur, quippe quos non transscripserit.

Nuwairius cum minime accurate codices transscribat multis locis per ὁμοιοτέλευτον quod vocant Graeci in errorem inductus totum enuntiatum omisit; e. g. in narratione diei ad Masbutât[1]) vocabula فسُمّي عامر يومئذ الأَسَنّة ملاعب omisit, quia antecedunt eadem verba ملاعب الاسنّة[2])

Nunc de iis disserere iuvat, quae Nuw. Ibn ʿAbd Rabbihii verbis addidit. Ut nonnulla parvi momenti omittam,[3]) Nuw. sectionem adiecit, qua de Tasm et Gadîs agitur et dies ad Qiddam (sive tahlâq al limam) uberius tractatur quam apud Ibn ʿAbd Rabbihium, cuius narrationi brevi atque obscurae inseruit Nuwairius, qua de causa dies ille „dies tonsurae“ nominatus sit additque Hârithum b. ʿUbâd iuravisse se non prius cum Taglibitis pacem conciliaturum, quam terra ipsum alloqueretur.[4]) — Item nonnulla affert de Hârithi carmine clarissimo, quod incipit cum قَرِّبا مِرْبَطَ النَّعامَة.[5]) Praeterea commemorat Muhalhilum secundum alios auctores a duobus servis interfectum,[6]) secundum alios ungula equi percussum esse.

Fonte quidem ex quo quae de Tasm et Gadîs et de

---

[1]) Sic apud Nuw. legimus pro Su'bân, cnf. p. 9.

[2]) Cuius rei multa exempla invenimus.

[3]) Nuw. postquam de die ad al Handamam, quem tempore islamico fuisse iam p. 24 commemoravimus, eadem verba attulit, quae Ibn ʿAbd Rabbihi, addit se etiam in sequente eucyclopaediae parte hunc diem tractaturum esse.

[4]) Cnf. Rasmussen Hist. praec. Arab. reg. p. 114.

[5]) Cnf. Ag. IV 150 supr.

[6]) Vide supra p. 11.

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:5-1192015415-314213759-12

die ad Qiddam addidit, exscripserit, non nominato tamen non dubito, quin ea ex Ibn Badrûni libro, hauserit quo Ibn ʿAbdûni carmen interpretatur.[1]) Nam cum narrationes Nuwairii et Ibn Badrûni ad verba fere inter se conveniunt tum inter omnes constat hunc illius librum transscripsisse.[2]) — Ceterum in aliis encylopaediae partibus nonnumquam se Ibn Badrûni libro usum esse plane profitetur.[3])

IV.

Ibn al Athîr in libro, qui „al Kâmil fî l taʾrîh“ inscribitur etiam „ajjâm al ʿArab fî l gâhilijja“ tractat (ed. Tornberg I. 367—517).

In initio affirmat,[4]) cum Abû Gaʿfar (Tabarius) tantum de die illo apud Dhû Qâr et de Gadhîma al Abraš et Zabbâʾ et de Tasm et Gadîs egerit,[5]) se ipsum — expeditionibus minoris momenti omissis — dies celebres narraturum esse.

Sed in opusculo suo non solum „dies“ (ايّام) sed etiam alias narratiunculas veteres refert, cum et de pugnis inter tribus Arabicas commissis et de Imrulqaiso poeta (p. 374—382), de morte ʿAmri b. al Mundhir b. Mâ l samâʾ (404 s.), de Hâtimo Tajjita celeberrimo (454) disserat.

Sed in codicibus, quos Tornberg litteris C et P signi-

---

[1]) De Tasm et Gadîs agit Ibn Badrûn (ed. Dozy) p. ٥٣–٦١ de die ad Qiddam p. ١١٣ ss. — Nuwairius hanc narrationem transscripsit totam, illam contraxit.

[2]) Vide p. 27 adn. 3.

[3]) Falso pro Ibn Badrûn semper Ibn ʿAbdûn dicit (Dozy p. 8).

[4]) I. A. 367.

[5]) Tres has narrationes apud I. A. non in ea parte, de qua ‚sdisserimus ed in priore legimus.

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:5-1192015415-314213759-12

ficavit et quos Brockelmann[1]) veterrimos esse affirmat, ea tota pars cum non inveniatur, dixerit quispiam eam partem non ab Ibn al Athîro ipso compositam sed postea alio a scriptore adiectam esse. Quae opinio reiicienda est, quoniam in priore parte (I. A. 296_5) legimus: وسنذكره في مقتل حُجر بن عمرو والد امرئ القيس في ايّام العرب ان شاء الله, quae verba etiam in codicibus C et P exstant. I. A. igitur iam in ea libri parte, quam primam composuit, distinctis verbis promittit se postea ajjâm al 'Arab tractaturum esse.

Reliquas Ibn al Athîri libri partes in codice A integras esse servatas Brockelmann[2]) contendit. Sed quod ad caput, quo de ajjâm al 'Arab agitur, pertinet, res non ita se habet, cum multa nonnisi in codice S. legantur.[3]) Quibus omissis cum contextus rerum non dirimatur, postea adiecta esse videntur. Neque vero ab alio quodam scriptore, sed quia idem dicendi genus atque in reliquis partibus cognoscamus verisimilius est ab Ibn al Athîro ipso additamenta illa paullatim libro adiecta esse.[4])

Primum nobis investigandum est, quibus ex fontibus I. A. quae de ajjâm narrat sumpserit. Ut in reliquis

---

[1]) Das Verhältniss von Ibn al Athîr zu Tabari Strassburg 1890. p. 24.

[2]) ibidem.

[3]) quae sunt: 373_{21-23}; 373_{23-24}; 374_{6-7}; 374_{x-19}; 374_2 a. u.-375_7; 378_{12-13}; 380_{3-5}; 381_{17-18}; 388_{5-8}; 395_4; 397_5 a. u. 403_{14}-404_3 a. u. 407_{4-5}; 419_{19-20}; 421_{12}; 421_3 a. u.-422_{11}; 422_{19}-426_{13}; 428_{9-10}; 438_{6-12}; 446_2 a. u.-447_1; 448_{19-20}; 460_{15-16}; 463_{5-6}; 464_{19-21}; 465_2 a. u.; 478_{18}; 479_{8-10}; 482_1; 487_2 a. u.-488_1; 489_3; 493_{15}-495_8; 510_{10-12}; 511_{11-14}; 514_{16}-517_{10}.

[4]) In codice S. saepe — aliter atque in ceteris — eadem verba leguntur, quae in libro al Agânî inscripto exstant. Exempli causa:
I. A. 371_5 عمرو بن ابى ربيعة; S. ضليع بن عبد غنم = Ag. XV. 86_{13}.
I. A. 376_{18} جائزة; S. اتاوة = Ag. VIII. 65_{15}.
I. A. 385_{11} بين بيوته; S. (sic.) بين نديه = Ag. IV. 140_4 a. u. بين يديه.

libri qui Kâmil inscribitur partibus, ita hoc in capite I. A. perpaucos auctores nominat, scilicet ut praetermittam verba „qâla Abû 'Ubaida“, quae multis in relationibus legimus, auctores hos: Ibn al Kalbî 406_4; Ibn Ishâq 437 (ult.), 439_{11}; al Zuhrî 443_3; al Mufaddal al Dabbî 486_8; (Halîl) sâhib kitâb al'ain 514_{14}.

Utrum autem I. A. verba Ibn al Kalbii, qui in aliis quoque libri partibus (ut p. 243_{12}, 245_2) testis affertur, ex eius libro ipso exscripserit, an alio ex opere, in quo Ibn al Kalbii verba allata erant, haud facile est diiudicatu.

Quae secundum Ibn Ishâqum de die illo apud Gabalam 437 (ult.) et de bello figâr appellato 439_{11} narrantur, in epitoma ab Ibn Hišâmo redacta non exstant. Sed Ibn Hišâm ipse plane profitetur se locos illos in periochae formam redegisse.[1]) I. A. igitur etiam aliis Ibn Ishâqi narrationibus atque iis, quae apud Ibn Hišâmum leguntur, uti potuit.[2])

Halîl 514_{14} auctor est locum quendam, quo Ausitae cum Hazragitis pugnaverint, non Bu'âth, ut alii existiment, sed Bugâth appellandum esse.[3])

De al Zuhrio p. 42 et de al Mufaddalo p. 38 infra disseremus.

Plerumque I. A. auctores ubi nominatim non affert his fere verbis utitur وقيل 383_{15}, 393_{10}; قال بعض العلماء 401_{14}, 438_6. Sed saepe, quem auctorem secutus sit,

---

[1]) Ibn Hišâm (ed. Wüstenfeld) p. 119: قال ابن هشام وحديث الفجار اطولُ ممّا ذكرتُ انّما منعنى من استقصائه قطعه حديث سيرة رسول الله. Vide etiam Ibn Hišâm 128_5.

[2]) cf. Brockelmann l. c. p. 32.

[3]) I. A. extrema in narratione saepissime, quomodo nomina sint scribenda, docet.

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:5-1192015415-314213759-12

ex eo intellegere possumus, quod apud alios quoque scriptores easdem narrationes legimus.

Quae apud I. A. de aḥbâr afferuntur, omnia fere in libro al Aġânî inscripto exstant. — In hoc libro iisdem verbis, quibus in primo Ibn al Athîri capite, narrantur tres nobiles pugnae, quas Zuhair b. Ganâb[1]) commiserit: Ac prima quidem pugna facta est cum tribu Ġatafân I. A. 367_{14}—368_{18} = Aġ. XXI 94_4—95_{13} (ex Ibn al A'râbio) — altera cum Bakritis et Taġlibitis I. A. 368_{19}—370_5 = Aġ. XXI 95_{14}—97_{18} (ex Abû 'Amr al Šaibânî) — tertia cum Banû l Quain I. A. $370_{6\text{-}13}$ = Aġ. XXI $101_{5\text{-}15}$ (ex Abû 'Amr al Šaibânî).[2])

Quae I. A. 370_{20}—373_{18}[3]) de Hugro b. 'Amr b. Mu'âwija al Kindî et Zijâdo b. Ḥabûla tradit, ad verbum Aġ. XV 86—88 leguntur (et in p. 86—87_{19} testis affertur Ibn al Kalbî, cetera secundum Abû 'Ubaidam narrantur).[4]) Manifestissime autem Ibn al Athîrum libro al Aġânî inscripto usum esse ex eo elucet, quod tertium eius caput (I. A. $374_{2\text{ a. u.}}$—382_3), quo de Imrulqaiso poeta agitur, non modo iisdem verbis sed etiam eodem ordine legimus Aġ. VIII. 62—74, ubi multi auctores nominantur.

Iam quomodo narrationes inter se congruant, haec tabula docet:

---

[1]) Qui unus ex antiquissimus poëtis fuisse dicitur.

[2]) Quae I. A. $367_{10\text{-}14}$ legimus congruunt cum Aġ. XXI 98_{15}—99_{15}, quae I. A. $370_{13\text{-}18}$ exstant, cum Aġ. XXI $100_{8\text{-}19}$.

[3]) I. A. 371_{19} pro وَسَمَّيْتَ legendum est وَشَتَمْتَ (= Aġ. XV 86_{20}).

[4]) Etiam apud Ibn Nubâtam (p. ٧٨ s. = Rasm. add. p. ٣٨ s.) eadem, in epitomae sane formam redacta, legimus.

I A. 375_7—376_8 = Ag. VIII 63_4 a. u.—64 (ult.)[1]) ex Ibn al Kalbio.

„ $376_{8\text{-}17}$ = „ „ $65_{4\text{-}14}$ ex Haitham b. ʿAdî.

„ 376_{17}—377_{12} = „ „ 65_{14}—66_{19} (ult.) Ibn al Kalbio.

„ $377_{12\text{-}15}$ = „ „ $66_{19\text{-}27}$ „ Abû ʿAmr al Šaibânî.

„ $377_{15\text{-}22}$ = „ „ 66_{28}—67_4 „ Haitham b. ʿAdî.

„ 377_{22}—378_{11} = „ „ 67_4—68_4 „ Jaʿqûb b. al Sikkît.

„ $378_{11\text{-}19}$ = „ „ $68_{5\text{-}16}$ „ Ibn al Kalbî.

„ 378_{19}—381_{14} = „ „ 69_{19}—74_2 [2]) „ Ibn al K. et Dârim b. ʿIqâl[3]).

(„ 381_{14}—382_3 cf. „ „ 82 „ Ibn al Kalbî).

Ad hanc tabulam illustrandam pauca addere placet.

1) Quod primum (I. A. 374_2 a. u.—375_7) narratur Bakritas iniquitate temporum perductos a rege quodam Jamanico (tubbaʿ) petiisse, ut tribui regem imponeret, in solo codice S exstat, nimirum quia postea adiectum est.

---

[1]) Ag. VIII 63_4 a. u. pro الحَجوف, quod cognomen Muʿâwijae b. Hugr fuisse dicitur, legendum est الجَون; vide I. A. 375_9 et Ag. XV 86_7. Ceterum etiam apud Slane (Divan d'Amro'lqais p. ٣$_{11}$) vitiose vocabulum الحجوف exstat.

[2]) Ag. VIII 70_3 ante vocabulum ظُهرا nonnulla verba desiderantur, quae secundum I. A. 379_{10} ita suppleri possunt: فسار امرؤ القيس فى آثار بنى أسد فادركهم ظُهرا

[3]) D. b. ʿI. unus e posteris Samauʾali b. ʿÂddijjâʾ poetae celeberrimi fuisse dicitur Ag. VIII 72 (infra).

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:5-1192015415-314213759-12

Cuius narratiunculae auctorem Abû 'Ubaidam esse ex Ibn Badrûn ١١٩ intellegimus. Ceterum etiam in narratione diei Kulâb 'Iqd 99_{17-25} nec non apud Ibn Nubâtam p. ٧٨ (= Rasm. add. p. ٣٨) eadem legimus.

2) I. A. nonnunquam ea, quae in libro al Agânî inscripto media in relatione auctoris cuiusdam secundum alium auctorem afferuntur, omisit. Ut exemplo utar Ag. VIII $63_{4\ a.\ u}$ — 64 ult. Ibn al Kalbio auctore mors Hârithi b. 'Amr narratur. Quae deinde Ag. 65_{1-4} de eius morte secundum Ibn Qutaibam afferuntur, I. A. non habet, sed ex templo Ibn al Kalbii relationem continuat (= Ag. 65_{4-14}). — Eodem modo I. A. 378_{19} ea omisit, quae Ag. 68_{16} — 69_{19} media in Ibn al Kalbii narratione (Ag. VIII. 68_{5-16} et 69_{19}—70_{22}) secundum alios auctores exstant.

3) Ibn al Athîrum libro qui al Agânî inscribitur usum esse evidenter etiam ex eo intellegi potest, quod I. A. $379_{7\ ss.}$, media igitur in Ibn al Kalbii narratione, carmen Imrulqaisi iisdem verbis explicatur atque Ag. VIII. 70 (supra), ubi auctor interpretationis Muh. b. Sallâm nominatur.

Jam restat, ut alias quoque res, quae in libro al Agânî inscripto eodem modo narrantur, enumeremus. De morte regis 'Amr b. Hind, cui cognomen erat Mudarrit al higâra, apud I. A. $404_{1a.\ u.}$ — 406_2 ad verba fere eadem afferuntur, quae Ag. IX 183. — Quomodo Galîla, soror Gassâsi et uxor Kulaibi, quem Gassâs interfecerit, a Taglibitis expulsa sit apud I. A. 388_3—389_8[1]) eodem fere modo narratur atque Ag. IV 151_{9-20}.[2])

---

[1]) Apud I. A. 388_{6-7} pro (فأنت اخت قاتلنا) وشقيقه واثرنا secundum Ag. IV 151 legendum est وشَقيقةُ واترِنا („tu es uxor eius quem nos ulciscemur").

[2]) Alia exemplа afferri possunt. Ceterum persuasum habeo Ibn al Athîrum iam in prioribus libri partibus libro al Agânî in-

Hactenus de ahbâr. Sed etiam „dierum“ I. A. magnum numerum attulit, quorum alii in libro al'Iqd inscripto narrantur, alii desiderantur. Narrationum permultarum Abû 'Ubaida auctor laudatur, earum quoque quas Ibn 'Abd Rabbihi non habet, ut relationis diei apud Qušâwam I. A. 446, diei apud Mushulân I. A. 455, diei apud Falg I. A. 488 s.[1])

Sed etiam saepius ubi I. A. auctorem non nominat, libro al 'Iqd auctoritatem Abû 'Ubaidae eum esse secutum probatur, ut in narratione diei apud Ġabît I. A. 447 ('Iqd 88$_6$), diei apud Dhû Tulûh I. A. 477 ('Iqd 85).

Quae et Ibn 'Abd Rabbihi et I. A. secundum Abû 'Ubaidam narrant, saepe ad verba inter se conveniunt, ut relationes diei apud al Waqît, quae apud I. A. 470 s. et 'Iqd 82 ss. leguntur,[2]) saepe autem inter se discrepant. Rem ita se habere non est mirum quia iam supra (p. 18 ss.) demonstravimus Abû 'Ubaidae narrationes variis formis pervulgatas esse; e. c. apud I. A. 450 ss. dies apud Mubâ'id alium in modum tractatur atque 'Iqd 93, apud I. A. 452 s. dies ad al Zuwairain aliter atque 'Iqd 91 s., quibus diebus Banû Šaibân cum Tamîmitis pugnaverunt. Huic seriei inserendum videtur quod I. A. septem alias pugnas inter has tribus commissas describit, quae apud Ibn 'Abd Rabbihium desiderantur, et quinque, quas ille

---

scripto usum esse. Nam quae I. A. p. 59 ss. de Tasm et Gadîs narrantur, Ag. X 48 ss. eodem modo exstant. Aliter Brockelmann (l. c. p. 30).

1) De Hâtimo Tajjita I. A. 454 secundum Abû 'Ubaidam eadem attulit atque scholiasta qui huius poetae carmina interpretatus est (Diwân ed. Schulthess nr. LXXXVIII).

2) Confer etiam quae relata sunt de j. Aqrun I. A. 478 et 'Iqd 81; de j. Tihfa I. A. 486—487$_9$ et 'Iqd 104; de j. al Nibâg wa Thaital I. A. 487 et 'Iqd 84; de j. al Šajjitain I. A. 490 et 'Iqd 92 s.

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:5-1192015415-314213759-12

narrat, omittit. Itaque quod eas ad pugnas attinet, exempla Ibn ʿAbd Rabbihii et Ibn al Athîri, quamvis ex eodem Abû ʿUbaida hausta, minime inter se congruerunt.

Quae ʿIqd 111 de primo, altero, tertio die figâr legimus, etiam apud I. A. 439 $_{s.}$ afferuntur, sed quasi tres diversae de primo die narrationes essent. I. A. 439_{11-19} ad verba congruunt cum iis, quae de tertio die ʿIqd 111_{20-26}, I. A. 439_{11}—440_{1} cum iis quae de secundo die ʿIqd 111_{13-20}, I. A. 440_{1-8} cum iis, quae de primo die ʿIqd 111_{1-13} narrantur.

De multis diebus I. A. multo uberius narravit quam Ibn ʿAbd Rabbihi, e. g. de j. al Nisâr (I. A. 462 $_{ss.}$ ʿIqd 110), j. al Gifâr (I. A. 464 ʿIqd 110),[1]) j. al Marrût (I. A. 473 $_{ss.}$ ʿIqd 81), j. Faif al Rîh (I. A. 474 $_{ss.}$ ʿIqd 104), aliis. Omnibus autem his pugnis tribus Banû ʿÂmir intererat, quae etiam diebus apud Dhû Nagab (I. A. 445) et Dhû ʿAlaq (I. A. 481) pugnavit, ab Ibn ʿAbd Rabbihio omnino omissis.

Quibus momentis omnibus diligenter perpensis diiudicari vix potest, ex quo fonte manaverint, quae I. A. de „diebus“ narrat. Dubitandum enim est, num exemplar libri Abû ʿUbaidae usque ad aetatem illius servatum sit. Satis autem constat Ibn al Athîrum narrationes exscripsisse ex libro quo secundum Abû ʿUbaidam „dies“ erant tractati atque de nonnullis pugnis, ut ʿÂmiritarum et tribuum Šaibân et Tamîm, uberiora narrata erant quam in Ibn ʿAbd Rabbihii fonte. Cuius tamen auctoris opus fuerit, quoniam diiudicari non potest, coniectura augurari liceat; atque puto quidem eum Ibn Habîbi „libro tribuum et dierum magno“ quem iam p. 7 commemoravimus, usum esse. Primum enim Ibn Habîb secundum Abû ʿUbaidam sua tradidisse dicitur (Fihr. 106, Ag. XI

[1]) Hunc diem Ibn ʿAbd Rabbihi extrema in narratione diei apud al Nisâr tractat.

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:5-1192015415-314213759-12

$63_{2\ a.\ u.}$, XVI 78_{10}). Deinde I. A. 486_8 al Mufaddalo auctore utitur,[1]) quem Ibn Habîb Ag. IV 140_{21}, XVI 78_{21} secutus est.[2])

Pauca hoc loco addere placet de aliis auctoribus, quibus interdum usus est I. A., e. g. Ibn Qutaiba et Hamza. — Extrema enim in narratione diei illius apud Gabalam (p. 438_6) I. A. „secundum virum quendam doctum“ (قال بعض العلماء) commemorat illis temporibus in regione Bahrain multos magorum sectam secutos esse additque Laqîtum b. Zurâra magum filiam suam cui nomen erat Duhtanûs, in matrimonium duxisse. Huius autem rei auctor est Ibn Qutaiba.[3]) Quem secundum auctorem num alia quoque narraverit, planius diiudicare licebit, si Ibn Qutaibae librum, qui ʿujûn al aḫbâr inscribitur, typis expressum habebimus.

Deinde Ibn al Athîrum Hamza quoque auctore usum esse ex eo intellegi potest, quod 374_9, ubi de ratione temporum disputat, dicit Zijâdum b. Habûla, hominem eiusdem temporis atque Hugrum, optimam secundum traditionem non regem totius regionis Ša'm fuisse sed solam partem eius occupasse.

واصلحُ ما قيل فيه انّ زياد بن هبولة المعاصر لحُجْر كان رئيسا على قوم او مُتَغَلِّبًا على بعض اطراف الشأم.

Haec verba autem legimus apud Hamzam (Annal. ed. Gottwaldt I. 140_6):

---

[1]) Vide supra p. 32. Ceterum al Mufaddal „dierum“ Arabum peritissimus erat. Conf. Flügel: Grammat. Schul. p. 145.

[2]) Ibn Habîbum ex Ibn al Aʿrâbio tradidisse Fihr. 106 legimus. Ibn al Aʿrâbî autem erat privignus et discipulus al Mufaddali.

[3]) Vide kitâb al maʿârif (ed. Wüstenfeld) p. 72.

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:5-1192015415-314213759-12

وملك الشأم يومئذ زياد بن هبولة (sic)[1] السليحيّ والملك الاعظمُ فى بنى جفنة وزياد كالمُتَغلّب على بعض الاطراف

Jam restat ut paucis memoremus Ibn al Athîrum etiam pugnas, quas Ausitae cum Hazragitis fecerunt, descripsisse. Ut alia omittam, de caede Fitjauni, regis Judaei, et de bello Sumairi, de j. Sarâra et j. Bu'âth agit[2]) — De „diebus" tribuum Aus et Hazrag opuscula extitisse iam supra (p. 7) memoravimus. I. A. igitur aut tali libro usus est, aut, quod verisimilius est, liber ex quo ceteras relationes exscripsit, narrationes harum quoque pugnarum continebat. Ceterum in libro qui al Agânî inscribitur earum pugnarum nonnullae similiter sed multo uberius quam apud I. A. narrantur ut harb Sumair (I. A. 494) Ag. II. $166_{s.}$, harb Ka'b b. 'Amr (I. A. 495) Ag. XIII. $123_{ss.}$[3])

Atque de fontibus quidem hactenus; nunc autem, quomodo I. A. iis usus sit, cum surgat quaestio, primum quidem non dubium videtur, quin I. A. saepe narrationes contraxerit.

1) Nonnunquam enim kitâb al Agânî presse secutus, auctoris cuisdam narratiunculam omnino omisit, ut iam p. 35 diximus.

2) Deinde, ne easdam res iterum proferre cogeretur, saepe narrationi auctoris primarii pauca secundum alium

---

[1]) Secundum I. A., Ibn Nubâtam, Ag. XV 86_8 legendum est زياد بن هبولة.

[2]) Hanc partem tractavit et in sermonem vernaculum vertit Wellhausen in libro „Skizzen und Vorarbeiten IV."

[3]) Dignum est, quod hoc loco memoretur al Bîrûnium (Chronol. ed. Sachau p. 34) medios inter dies Ausitarum et Hazragitarum mirum in modum etiam bellum notissimum Dâhis wa'l Gabrâ nominare.

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:5-1192015415-314213759-12

auctorem inseruit. Ut exemplo utar, verba, quae apud I. A. 375_{21} legimus, فيهم عامر ومالك ابنا الحارث, non in narratione Ibn al Kalbii Ag. VIII. 64_{18} exstant, sed postea (p. 65_3) secundum auctoritatem Ibn Qutaibae adduntur. I. A. igitur rem, cuius Ibn Qutaiba solus auctor est, duos filios Hârithi b. 'Amr a Taglibitis captos esse, alteri relationi inseruit.[1])

3) Quomodo autem I. A. dictionem in formam breviorem redegerit, ut nonnullis exemplis demonstretur, in libro suo 375_{21} dicit فقتلهم pro فضرب رقابهم (Ag. VIII. 64_{19}), 368_9: فقتله pro فضرب عنقه (Ag. XXI. 94_{19}). — Quod copiosius legitur Ag. VIII. $67_{3\text{ a. u.}}$ فأخذ التراب فوضعه على رأسه sic compressit I. A. 378_6: فوضع التراب على رأسه

4) Carmina, quamquam hac in parte saepius leguntur quam in ceteris, tamen interdum aut omisit aut contraxit. — At ut narrationes pugnarum inter Aus et Hazrag commissarum illustraret, idem I. A. permulta carmina inseruit (cf. 496—98; 500—502; 512—14). Quin etiam 503_8 carmen nulla alia nisi sermonis exornandi causa addidit.[2])

Ceterum I. A. saepius ipse affirmat se ne longior sit res breviter astringere, ut

490_8 ولولا التطويل لشرحناه أبيّن من هذا,

450_{14} تركنا ذكره اختصاراً,

$454_{5\text{ a. u.}}$ تركناها كراهيةَ التطويل.

Quod ob genus dicendi angustum atque abruptum

[1]) Brockelmann (l. c. p. 17) demonstravit ceteris in partibus Ibn al Athîri libri idem factum esse.

[2]) 503_8: وانّما اثبتنا هذه الابيات وليس فيها ذكر الوقعة لجودتها وحسنها.

saepius quid dicat difficile est intellectu.[1]) E. g. de Imrulqaiso poeta 378_{14} legimus: وكان يسير فى احياء العرب يشرب الخمر على الغدران ويتصيّد على الغدران. Quid verba على الغدران significent, nonnisi ex iis, quae Ag. VIII. 68_{7-10} exstant, cognoscimus; Imrulqais enim, quotiescunque ad stagnum (غديرا) pervenit, ibi venatus et cum amicis et cantricibus epulatus esse vinumque potavisse dicitur, dum aqua stagni evanesceret (حتّى يَنْفَدَ ماءُ ذلك الغدير).

Deinde etiam quasdam res minoris momenti amplius narravit I. A., ne iis omissis dissensio fieret aut aliae res obscurae essent. E. g. narrationem mortis Hârithi b. 'Amr iam p. 376 descriptae iterat p. 406[2]) additis verbis وقد تقدّم هذا فى قتل حُجر ابى امرئ القيس وانّما اعدناه هاهنا للحاجة اليه[3])

Jam vero quaerendum cum sit, qualis sit ordo capitum, equidem non dubito, quin I. A. id egerit, ut temporum ordinem sequeretur. Hoc eius eo magis interfuisse existimandum est, quod ceteras libri partes secundum Tabarium observato singulorum annorum ordine composuit.

Anxie enim evitat omnes temporum aetatumque errores, quos in libro al 'Iqd inscripto inveniri p. 44 ss. demonstravimus. Recte diem illum apud al Gabîṭ multo ante diem apud al Uzâlâ, diem apud Gabalam post bellum Dâhis, diem apud Rahrahân post res ab Hârith b. Zâlim gestas narrat. — Primum de Zuhairo b. Ganâb agit, qui ex antiquissimis poetis fuisse dicitur. — Bellum

---

[1]) cf. Wellhausen ZDMG. 1890 p. 397.

[2]) Sed verba non prorsus inter se congruunt.

[3]) I. A. saepe relegat ad ea quae aut iam antea dixerit (ut 375_{15}—388_5) aut postea dicturus sit (ut 382_3 a. u., 397_5 a. u., 400_{12}). Aliter docet Brockelmann p. 22 de ceteris partibus.

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:5-1192015415-314213759-12

quod Basûs vocatur bene in initio capitis, dies qui brevi aute Islamismum acciderunt, in fine tractat.[1])

Ibn al Athîrum diligenter ut temporum ordo enodetur studere etiam aliis causis probari potest. E. c. 373_{18}—374_{19} negat Zijâdum b. Habûla Salîhitam, regem Syriae, contra Hugrum Âkil al murâr expeditionem fecisse, quod Zijâd ille, qui rex Syriae fuisset, multo ante Hugrum vitam degisset. Hoc autem inde concludit, quod Hârith b. 'Amr, Hugri nepos, eadem aetate atque Qubâdh, 130 igitur annis aute fugam Muhammedi floruerit et quod post Salîhitas per 600, secundum alios 500, minimum autem 316 annos Gassânitae reges Syriae fuerint. Praeterea Zijâdum ne ultimum quidem Syriae regem ex gente Salîh fuisse.[2])

Neque vero dubium est, quin I. A., quem auctorem gravissimum fuisse satis constat, saepe res anteislamicas quoque critica ratione tractaverit. Jam in priore parte diversis sententiis de eadem re allatis addit 296_3:

وسبب هذا انّ اخبار العرب لم تكن مضبوطة على الحقيقة فقال كلّ واحد ما نُقل اليه من غير تحقيق.

Bene etiam sententiae al Zuhrii adversatur. Qui auctor ut Muhammedum bello secundo quod *fiqâr* vocatur, non interfuisse probet, utitur hac fere argumentatione: „Muh. si interfuisset, Quraišitae non fugati essent.“ Hoc argumentum non probandum esse recte I. A. sensit, cum etiam post revelationem Muhammedi socii eius fugati essent, nedum ante illam semper vicissent.

---

[1]) Reiske v. cl. qui („Primae lineae“ p. 163 ss.) suo Marte res gestas secundum temporum ordinem componere studet, nonnunquam cum I. A. convenit, quamquam eius libro non usus est.

[2]) Jam memoravimus (p. 38), quomodo I. A. Hamzam secutus discrepantiam illam dissolvat.

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:5-1192015415-314213759-12

Praeterea I. A. de eadem re complures sententias cum affert saepe addit, quam rectam existimet. Duarum mortis Gassâsi narrationum (392_5 a. u.—393_6; 393_{10}—394_7) priorem sequitur (394_7: والاوّل اكثر)[1] — Secundam narrationem belli *figâr* inter Aus et Ḫazrag gesti[2]) praeferendam esse argumentis confirmat p. 510_{15}.

Nonnunquam „sine ulla dubitatione“ quid sibi videatur, dicit. E. c. ubi disseruit, quomodo dissenserint auctores de die illo Halîma vocato addit verba (404_{16}): فالصحيح انّ المقتول هو المنذر بن ماء السماء لا شكّ فيه

Sed saepius (ut 374_{11}, 398_3 a. u., 438_{12}) quae sententia rectior sit, non diiudicat atque dubitationem suam verbis usitatissimis excusat: والله اعلم.

Appendix (ad. p. 21 s.)

Fihr. p. 51 legimus Abû ʿAbdallahum Muḥ. b. al ʿAbbâs al Jazîdium (mortuum a. 310 H.), qui senex praeceptor filiorum principis al Muqtadir billah factus est, socio petenti ut nonnulla opuscula ab eo tradita sibi legenda daret, respondisse: تجاوزت الاحصّ انّى انا فى شغل عن ذلك Quod enuntiatum Flügel (Fihr. vol. II p. 32) „per metaphoram“ sic interpretatur „ich bin über die Blüthe meiner Jahre (meinen heiteren Himmel) hinaus, ich enthalte mich der Beschäftigung damit.“ Sed erravit vir doctissimus. Vocabulum enim الاحصّ hoc loco non significat „serenum“; sed locus interpretandus est secundum normam verborum تَجاوَزْتَ شُبَيْثًا والأَحَصَّ („transiisti montes Šubaith et

---

[1]) Haec verba etiam 398_5 a. u. leguntur. Cf. etiam 404_{17}, 438_{12}.

[2]) Bellum figâr a tribubus „anṣâr“ gestum non est confundendum cum bello celeberrimo item appellato, quod tribus Qais cum Kinâna gessit. Vide I. A. 507_2.

Ahass“) supra (p. 21 s.) explicatorum. Quae verba in proverbium abierunt (vide Maidân. ed. Bul. I. 126 ult. يُضْرَب لِمَن يطلب شيئًا فى غير وقته) — Jazîdius igitur dixit tempus alienum esse, cum ipse aliis rebus occupatus sit.

Ibn Ḥall. (nr. 651, ed. Wüstenf. VII 41) de Jazîdio eiusque socio idem fere habet, quod in libro al Fihrist scriptum videmus, sed inde verba ei fortasse non clara تجاوزت الاحصّ omisit.

Vita.

Natus sum Eugenius Mittwoch die 4. mensis Decembris a. 1876 in oppido Posnano cui nomen est Schrimm patre Ludovico matre Carolina e gente Weyl. Fidei addictus sum iudaicae. Postquam litterarum primordiis imbutus sum, vere anni 86 gymnasium paternae urbis adii, quod per octo annos frequentavi. Maturitatis testimonium assecutus vere anni 1894 Berolinum me contuli, ut in universitate litterarum Friderica Guilelma praecipue linguís et litteris orientalibus me darem. Seminarii linguarum orientalium sodalis fui per quater sex menses. — Docuerunt me viri doctissimi: Barth, Dieterici, Dilthey, de Gicycki †, C. F. Lehmann, Paulsen, Sachau, E. Schmidt, Schrader, Simmel, Steinthal, Stumpf, de Wilamowitz-Möllendorf, Winckler, Zeller. Quibus viris optime de me meritis cum omnibus tum Eduardo Sachau, qui studia mea rexit, gratias ago quam maximas, nec non Augusto Fischer, qui in hunc studiorum campum me duxit.

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:5-1192015415-314213759-12

Sententiae controversae.

1) Vocabulum Arabicum شفى, quod significat „mederi“ non cum voce Aethiopica *fawasa* („mederi“) sed cum eiusdem linguae *safaja* („suere“) componendum est.
2) Šu suffixum III. p. sing. linguae Assyriae saepius usurpatur pro articulo definito.
3) Numerale linguae Persicae چهل (quadraginta) nonnumquam multitudinem indefinitam significat.
4) Apud Ibn al Athîrum (Chron. ed. Tornberg I. 371$_{19}$ pro وَشَمَيْتَ legendum est وَشَتَمْتَ.
5) Apud Ibn al Athîrum ib. 397$_1$ pro حقّ legendum est حتّى.

Ne 320

Druck: Rosenthal & Co., Berlin N.,
Johannis-Strasse 20.

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:5-1192015415-314213759-12

D: Ne 320

ULB Halle
000 863 793
3/1
archive dig.

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:5-1192015415-314213759-12

Proelia Arabum paganorum

(Ajjâm al ʿArab)

quomodo litteris tradita sint

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:5-1192015415-314213759-12